

**1991-01-09 – SS Ioannes Paulus II – Littera ‘Per Terrarum Orbem’**

**IOANNES PAULUS PP. II**

**LITTERAE APOSTOLICAE**

***PER TERRARUM ORBEM***

CATHEDRALE TEMPLUM QUINQUE ECCLESIAENSE INTER BASILICAS MINORES  
ANNUMERATUR, QUOD EST SS. APOSTOLIS PETRO ET PAULO DICATUM

Ad perpetuam rei memoriam. – Per terrarum orbem complures inveniuntur aedes sacrae, quae Apostolorum Petri et Pauli sibi vindicant nomen. Quod mentem consiliumque sapiens significat maiorum nostrorum, qui arte coniungi cum principi Ecclesia se iure meritoque sentiebant. Laetanter igitur comperimus SS. Apostolis Petro et Paulo Quinque Ecclesiensem communitatem dicasse cathedrale templum ipsumque venustis monumentis ornavisse. Libentes igitur volentesque concedendum esse censuimus precibus Venerabilis Fratris Michaelis Mayer Episcopi Quinque Ecclesiensis, qui optata etiam fidelium ostendens, expostulavit ut aedes sacra, de qua supra est facta mentio, in catalogum referretur Basilicarum Minorum. Itaque rata omnino habentes quae hac de re Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum decrevit, Nostra Apostolica sustentati potestate, cathedrale templum quod supra memoravimus in numero Basilicarum Minorum recensemus, concessis pariter iuribus et privilegiis quae ad hanc dignitatem gradumve spectant. Serventur praeterea quae Decretum «de titulo Basilicae Minoris» praecipit, die IX mensis Novembris editum anno MCMLXXXIX. Contrariis quibusvis minime obsistentibus rebus.

Placet demum istorum fidelium animum confirmare, qui renovato impetu, felicioribus quoque condicionibus instauratis, catholicam actionem suscipient, unde uberes fructus ecclesiali coetui eveniant et fidei prosperitas usque contingat.

*Datum Romae, apud Sanctum Petrum sub anulo Piscatoris, die IX mensis Ianuarii, anno MCMXCI, Pontificatus Nostri tertio decimo.*

ANGELUS SODANO, archiep.  
*Prosecretarius Status*